

Similem usum habet Nun inversum, quod Num. 10, v. penult. & cap. 11, 1. reperitur.

## SECTIO II. DE PUNCTIS.

§. 7. *Punctorum* appellatione venit, quicquid in Hebræa scripturâ occurrit præter literas. Sunt verò *Punctorum* genera tria; unum eorum, quæ *Sonum* moderantur; alterum illorum, quæ *Tonum* regunt; tertium merè *Criticorum* est, quæ ad crisin Masoretharum solummodò pertinent.

Priora duo genera faciunt vel ad ipsum esse linguæ, vel ad ejus bene esse; hoc secundum genus præstat, illud primum. Nam vocabulum aliquod quoad omnes suas syllabas, sigillatim & conjunctim consideratas, rectè se potest habere, accentu licet vel malè addito vel neglecto, (exemplo vulgati illius. *Non curamus quantitatem syllabarum:*) non autem vocabulis vel neglectis, vel perperam additis.

§. 8. *Puncta Sonum moderantia* sunt, quæ ad ipsam lectionem necessariò requiruntur; numero XVIII. eaque vel *Dominantia*, vel *Servilia*.

§. 9. *Dominantia* vocantur *Vocales*, quæ ratione Soni sunt quinque, cum nec plures nec pauciores soni simplices dentur: ratione quantitatis autem decem, quinque Longæ, & totidem Breves vocales.

In omnibus linguis occurrunt quinque Soni A, E, I, O, U. Sed figuræ ad sonos illos indicandos quibusdam pauciores sunt; quibusdam totidem nonnullis plures. Pauciores sunt Arabibus,

A 5

vide-